





*6* 1787,2  
DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS  
PHILOSOPHICO - IVRIDICA  
DE  
**PRAESCRIP<sup>T</sup>IONIS**  
NATVRA, FVNDAMENTO, ET IVRE  
IN STATV CIVILI;  
QVAEDAM EXHIBENS

*J. H.*  
QVAM  
AVCTORITATE ET CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
PRO GRADV DOCTORIS V. I.  
RITE CAPESSENDO

DIE XXXI JVLII MDCCCLXXXVII.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR  
**SAMVEL FRID. DE LVTHARDT**

HELVETO BERNAS.

GOETTINGAE,  
TYPIS JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.



SCHELTENIUS HISTORICUS  
HISTORIQUE - LAURENTIUS  
Dicitur  
RUMINANTIA  
ANNO MDCCLXV  
LIBER ET LIBERTATIS  
CIVITATIS LIBERTATIS  
CIVITATIS LIBERTATIS  

---

  
LUDWIG VON SCHELTEN  
CENSUS INSTITUTUS  
STATISTICA  
CENSUS INSTITUTUS  
STATISTICA  
CENSUS INSTITUTUS  
STATISTICA



V I R I S

ILLVSTTRIBVS AC PRAENOBILISSIMIS

D. D.

PAVLO FRIDER. AB OTTH

PRAEFECTO PATERNIACENSI

NEC NON

THEOPH. RVD. DE TSCHIFFELI

SUPREMI SENATVS BERNENSIS REIPVBЛИCAE

DVCENTVM VIRIS GRAVISSIMIS

PATRONIS ET FAVTORIBVS

OPTIMIS INDVLGENTISSIMIS

QVA

DECET VENERATIONE CVLTVQVE

STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

D. O. C.

A V C T O R.



---

## PRAEFAMEN.

Necessitate aliquod eruditionis specimen edendi co-  
actus, in doctrinam de praescriptione mentem  
conuerti, eamque tractare constitui. Immensis vero  
de praescriptione romana et canonica scriptis, ab ha-  
rum tractatione deterrito, magis philosophica arisit  
methodus, quam ita instituendi voluntas mihi erat:  
ut primum, explanata praescriptionis indole, et  
fundamento iustitiaque eius ex nexu cum summo rei-  
publicae fine probata, determinationes quasdam spe-  
cialiores ederem, quatenus ex praescriptionis natura  
et fine eas deducere licuisset. Hiscum instituta positua  
ex potioribus legislationibus ad ducta, comparandi,

A

ratio-

rationesque eorum consensus dissensusque ex statu rerum indicandi, animum tenui. Parua vero ingenii eruditionisque vis, cuiusque primi tentaminis difficultates, et in se materia difficilis, effecerunt, ut iam lapsum sit tempus in Academia degendi constitutum, antequam prima tractationis pars elaborationis finem attigit. Necessitate tamen aliquid edendi cum ductus sim, haec, indulgenter accipe quae sunt, fragmenta, B. L. et excusatum me tene, quando rude et indigestum tibi proponam opuscolum. Vale et Fave.

a) Haec ratio, vnde in hac tractatione, nullas harum legum allegatas inuenias, quamvis in rerum natura principia quae continent, fundata sint.

---

DE

DE  
PRAESCRIPTIONE  
TRACTATIO PHILOSOPHICO IVRIDICA.

SECTIO I.

*Definitio et Indoles praescriptionis, eiusque species.*

§ I.

Omnis de aliqua re quaestio, cum vana sit, re ipsa nondum determinata, ab eius definitione ortum ducere debet; cui studens principio, *praescriptionis* a) definitionem sensu generali, sic constituere placet; vt sit: *modus adquirendi ius quoddam alienum, ex non usu alterius amissum, ob possessionem per tempus definitum b), continuatam c).*

- a) Alios praescriptionis significatus tradit LAVTERBACH in collegio theoretico practico Tit. de praescript.
- b) Ex hac definitione intelligitur, nos de praescriptione immemoriali non logui, quae plane alio nititur fundamento.
- c) Similis est nostrae, definitio quam edit JAC. RAVE in principiis vniuersae doctrinae de praescriptive Jenae 1766. § 1. pag. 1. cf. § 3. et § 7.

A 2

§ II.

— —

§ II.

Qua ex definitione intelligitur, ad omnem praescriptionem requiri:

a) cum sit modus adquirendi, igiturque iura et obligations constituantur et deleantur a).

a) *Subiectum adiuum*, quorum intuitu iura et obligationes constituantur, et quidem

1) *Subiectum adiuum*, quod praescribat, siue cui ius adquiratur et obligatio deleatur.

2) *Subiectum passuum*, contra quod praescriptio obtineat, siue cui extinguitur ius, et quod obligationem fuscipiat.

Consequens exinde est: 1) Omnem praescriptionem augere patrimonium praesribentis, vel *affirmative*, quando aliquid ei accedit, quod antea eius non erat, vel *negative*, si vel iterum adquiratur, quod contra libertatem, ex reali siue personali obligatione debebatur, vel quod impedit praescriptio, nequid ab eo discedat, quod alias discessisset b).  
2) Omnem praescriptionem eodem modo minuere patrimonium eius contra quem obtinuit c).

*β) Objecitum* omni in praescriptione tamquam ius, vel in re, vel in rem, spectari potest, cui obligatio vel *affirmativa* vel *negative* conueniat. Ius illud *alienum* esse debet, propria enim non adquiruntur. *Alienum d)* vero est, quod mihi non competit, vel quia obligatus sum ad aliquid aut *affirmativa* aut *negative*; vel quod alter nulla erga me tenetur obligatione; alienum igitur adquiro, quando vel obligatione liberer, vel alter in obligationem erga me constituatur.

b) Ad

b) Ad praescriptionem secundo requiritur *possessio e)*, quae est facultas physica, aliquid vel faciendi vel non faciendi animo ius ex quo ista fluit sibi habendi; possideo igitur, vel si satisfiat ab aliis obligationi, cuius ius conueniens prae me fero, vel si omittam praestationem eius quod debo.

Cum praescriptione ius adquiratur alienum per possessio-  
nem, haec vero impediatur, altero iure suo vtente, sequitur:  
requiri praescriptionem, *non usum ex parte subiecti pas-  
sui g).* Non usus vero consistit, in omissione exercitii,  
sive iuris, sive libertatis naturalis; ille igitur non vtitur, qui  
aliquid praestat, vel faciendo, vel patientia, vel non facto,  
cuius obligatio ei non incumbit h).

c) Tertium denique requisitum est *continuatio possessionis*  
per tempus definitum i).

a) RAVE § 2. n. 1. 2. et 3. n. 3. LANGENMAK *Philosophische  
Abhandlung von der Verjährung.* Berlin 1746. § 6. n. a. p. 23.

b) RAVE § 2. n. 4. p. 3.

c) HUGO DE ROY de eo quod iustum est etc. Jenae 1736  
Lib. 3. Tit. I. § 4. p. 287.

d) LAUTERBACH L. 41. Tit. § 16. nr. 1. aliam tradit defini-  
nit onem quea vero a nostra non differt.

e) Contra usum forsitan loquendi haec pugnat definitio, non vero  
contra rationem, omne enim possessionis genus continet et  
sunt distincta est, ut ab omni, ei simili, distinguatur, efficit  
etiam, ut discrimine determinationis inter rerum et iurium  
possessionem opus non sit.

f) CIVIACIVS ad I. 2. D. de usurp. et usuc: "quod vtendo ad-  
quiro, id dominus non vtendo quadam tenus amitti."

g) HUGO DE ROY l.c.

h) CIVIACIVS l.c.: "retro quod usui retinet dominus, id ipse  
usu adquirere non possum."

i) HUGO DE ROY L. 3. T. I. § 5. n. d. pag. 230.  
HUBER de iure ciuitatis L. I. S. 3. C. 9. § 51.

---

### § III.

Obiecti praescribendi qualitas originem praebet diuersis praescriptionis speciebus, quas ad methodi rationem modo denominare sufficit a). Ius praescribendum enim vel affirmatiue auget patrimonium praescribentis, vel negatiue solum b), illa *adquisitiua*, haec vero *extinctiua* vocatur. Adquisitiuae porro duae sunt species; est enim vel *translatiua*, quando ius vel reale vel personale, cuius tamen obligatio non tangit praescribentem, praescriptione adquiri debet, vel *Constitutiua*, si de iure nondum constituto, inter ipsum praescribentem et alterum constituendo quaeritur c)

a) Sufficiunt enim dicta, vt cuiusque praescriptionis dissensionem a iuris naturalis principiis, consensum vero cum salute publica indicent, et vltiores determinations exinde deduci queant.

b) RAVE § 90.

c) De hac diuisione vid. TITIVS in iure priuato L. 2. c. 9. § 8.

### § IV.

Cum ex requisitis § II. adductis appareat possessionem per tempus definitum, causam praescriptionis esse sufficientem, hanc vero non usum ex parte alterius inuoluere; sequitur: 1) In praescriptione non respici voluntatem subiecti passiui, nec 2) ortumi ducere ex facto eius affirmatiuo.

---

SECT. II.

## S E C T I O . II.

*De praescriptionis fundamento remoto.*

### § V.

**H**is de praescriptione in genere dictis, quaestio cuilibet oriri necesse est, quibusnam fundamentis, hic adquirendi modus nitatur? vtrum ex hominis natura intelligatur, ideoque iuris naturalis sit, an vero ex iure positivo originem ducat a). Quam posteriorem sententiam, vt e sequentibus apparet, accipiemad puto b).

a) Huius controversiae scriptores antiquiores vid. apud GILKENNIVM in tractatu de vñscaptionibus et longi temporis praescriptionibus. P. I. C. I. § 57.

VASQVIVM in controversiis illustribus Cap. 51. nr. 23 et 25. scriptores nouioris aetatis penes HÖPFNERVM Naturrecht der einzelnen Menschen L. I. S. I. c. 5. § 110.

b) Hanc opinionem firmat praeferit GLAFEY Recht der Vernunft.

### § VI.

*Ius naturae* sensu stricto, est complexus legum perfectarum, quae ex hominis eiusque actionum natura fluunt. Summum eius principium est: neminem laede a).

Iura ista ab natura hominis ipsa profecta, nullo praecedentis facti respectu habito, dicuntur *connata*; a facto quodam praecedenti vero ducta, *adquisita* audiunt. Illa in statu naturali absoluto, haec in hypothetico ei competitunt b).

a) HÖPFNER § 3.

b) IDEM § 35 et 36.

### § VII.

— —

### § VII.

Omnia iura connata in alios homines modo *negatiua* sunt *a)*, ex quibus hue spectant, ius aequalitatis *b)*, et ius ventendi rebus ad victimum cultumque pertinentibus *c)*, quod tamen hoc in statu momentaneum solum est *d)*, vnde communio illa primaeua ortum dicit *e)*. Nulla ergo in hoc statu adquisitio, nec igitur praescriptio.

*a)* Licitum nobis sit breuitatis gratia, ita denominare ius, cui obligatio conuenit negatiua. HÖPFNER § 44.

*b)* et *c)* IDEM § 40 et 43. C. F. SCHOTT in Volumine I. dis fert. iuris nat. Dill. II. de origine dominiorum p. 383. LOCKE du Gouvernement civil. Chap. I. § 1.

*d)* LOCKE du Gouvernement civil Chap. II. THOMASIVS In risprudentia divina L. 2. cap. 10. § 101. iqq.

*e)* HOEPFNER § 43<sup>o</sup> not. 2. HORATIVS Sat. Lib. 2. Sat. 2. HGGO DE ROY Lib. 2. T. 6. § 2. p. 194.

### § VIII.

Omnia igitur iura exclusiva in res creatas aliquantum hominum personam, e statu naturali hypothetico proficiuntur, quaenam vero ad eorum adquisitionem pertineant, paulo accuratius indagandum est.

Cum omnia hominis iura per se aequalia sint; nec fas est, in statu naturali absoluto, ius quoddam exclusivum sibi tribuere; cum vero iuri suo cuique renunciare licet, consequens est, ut in omni iuris exclusivi adquisitione requiriatur consensus eorum, qui exinde obligatione quadam sunt obstricti.

### § IX.

### § IX.

Omne acquisitionis obiectum ius est, spectans proxime, vel rem corporalem, vel personam contra iura connata obligatam. Ius de cuius acquisitione quaeritur, alicui iam vel exclusivae competebat, vel contra, illud adquirendi modus *deriuatiuus*, hoc *originarius* dicitur a).

a) LANGENMAK. § I, pag. I.

### § X.

Vt igitur aliquis rei corporalis, omnibus adhuc communis originarie sibi adquirat ius exclusivum, omnium eorum quibus cum viuit consensu exigitur a), omnibus enim in hac re connatum est ius.

Quo consensu ei tribuitur facultas adquirendi moralis, siue titulus; acquisitione vero ipsa demum procedit, accedente consensu ipsius sufficienter b), id est ita declarato, vt omnibus innotescat, quibus alias iure suo in hac re connato vti liceret. In hac igitur declaratione modus est adquirendi originarius, qui *occupationis* nomine gaudet c).

a) THOMASIVS L. 2. c. 10. § 90 et 101. sqq. HUGO GROTIUS de iure belli et pacis Lib. 2. cap. 2. § 1. lit. g. et § 2. Hoc dominii fundamentum oppugnat, et loco eius occupationem statuit. SCHOTT de origine dominiorum § 8. 9. 10. p 384 sqq. simul cum scriptoribus in not. 15. citatis. HOBBES de ciue C. I. § 10. dominii originem statui tribuit ciuali ideoque iure naturali obtinere negat.

b) HUGO GROTIUS L. 2. c. 4. § 3.

c) LANGENMAK § I. p. I.

## § XI.

Cum ius proxime personam tangens, contra huius solum iura connata pugnet, eius consensus sufficit, vt alteri quando aequo consensum suum sufficienter declarauerit, ius in eum adquiratur.

## § XII.

Iura ita adquisita eodem loco sunt, atque connata; ergo nec sine illius qui adquisiuit, siue domini, consensu amitti <sup>a)</sup>, nec ab altero adquiri possunt.

<sup>a)</sup> LANGENMAK § 3. p. 10. GILKENIUS P. I. Cap. I. § 4.  
pag. 4. CVIACIVS ad l. 1. D. de usurp. et usurcap. MELSTER de fide eiusque iure in usurcione et praescriptione Cap. 3. § 2.

## § XIII.

Hic consensus, si dominus declarat: se ius in patrimonio non amplius habere velle, intuitu rei corporalis *derelictio* dicitur, efficitque, vt res iterum fiat omnibus communis, intuitu iuris personalis *remissio* vocatur, et hunc effectum habet, vt is qui obligatus erat, ab obligatione liberetur. Quando vero haec declaratio coniuncta est, cum dispositione quadam in tertii alicuius fauorem, ab hoc acceptata, *pauciun* constituitur <sup>a)</sup>.

<sup>a)</sup> LANGENMAK § 1. pag. 1. Iure naturali nullo opus est factio corporali, mutuus enim consensus ad transferendum dominium sufficit. HÖPFNER. § 46 et 80.

## § XIV.

### § XIV.

His principiis propositis, indoles adhuc consensus indaganda est, quo facto nostrae rei dissensio cum ipsis facile componi potest.

*Consensus* est declaratio voluntatis, aliquid fieri debere *a*). *Declaratio* est actus, quo in notitiam hominum deducimus, quae in internis peraguntur; quod sit signis externis *b*) sive in aliorum sensus cadentibus; quando verbis se exserant, *consensus expressum*, si vero factis cognoscantur, *tacitum consensus* tenemus. Tertia denique *consensus* species est *praesumtus*, qui probabilibus solum nititur rationibus *c*).

*a) HÖPFNER § 60.*

*b) GROTIUS Lib. 2. c. 4. § 3. in nota.*

*c) HÖPFNER § 68. not. I.*

### § XV.

Vt vero *consensus* in iure habeat effectus amittendi vel adquirendi ius, requiritur *sufficiens declaratio*, sive ut actus declaratorii conueniant voluntati agentis, et notioni, quam homines certo actui tamquam voluntatem significanti iungunt *a*).

*a) HÖPFNER § 68.*

### § XIV.

Introducto linguarum usu, cum quaedam notio vocabulo notetur rem indicanti, nulla intuitu *consensus expressi* oritur difficultas. Aliter res se habet ratione *consensus factis declarati*, in quo quidem dubitandum non est, quin factum

concludens eamdem habeat vim, quam verba, quaenam vero sit concludentis natura indagationi est subiiciendum.

### § XVII.

*Factum* in genere est quaelibet status mutatio, à voluntate nostra profecta; si signis se exserat externis, factum in specie sive *affirmativum* dicitur, quando vero in aliorum sensu haud cadat, non factum, sive factum *negativum* audit.

Prius in iure concludens est, quando ita in aliquid dirigitur, ut secundum notionem quam homines eo cum coniungunt contraria voluntas agentis impossibilis fit; quod vero instituti rationem non tangit.

### § XVIII.

*Negativum* factum, ex quo iuris amissio concludi liceret, esse negamus a); voluntas enim amittendi, a domino declarata, sola fundat alterius ius adquirendi (§ 10. 11. 13). Eius vero intuitu aliorum hominum nulla est vis, nisi signis edita sit externis; factum negativum vero signis externis se non exserit, nec ideo ex eo oriri potest alteri adquirendi facultas b).

a) PUFFENDORF in iure naturali Lib. 4. Cap. 12. § 8.  
LANGENMAK § 3. p. 10.

b) IDEM p. 14. in der Anmerkung.

### § XIX.

Inde sequitur: neminem ex solo non usu alterius ius ei quae situm adquirere posse a), ideoque neminem ius suum exercere teneri

*teneri ob metum amissionis b) excepto casu, quo laesio tertii exinde oriatur. Cum porro facti negatiui ratio semper eadem sit, intelligitur: ius semel adquisitum, nec declaratione voluntatis sufficiente amissum, per omnia manere tempora, nec ullo eorum lapsu extingui posse c).*

- a) PUFFENDORF L. 4. cap. 12. § 8. et HEINECCIVS ad hunc locum.
- b) RAVIVS § 9. p. 9. LANGENMAK § 3. p. 10.
- c) Quod ita intelligendum, nisi alia adsit causa; vt obiecti extincio, rei vel personae obligatae interitu contingens.

### § XX.

*Consensus denique praesumtus a) requirit facta praece-  
dencia, ex quibus probabiles illae rationes deducuntur,  
igiturque pendet ab individui casus circumstantiis. In ge-  
nere tamen ex hominis natura statuendum est: eum in id  
consentire, quod ei proficuum est; ideoque si in aliquid  
consentiat, ex quo certo damno afficiatur, propterea id fa-  
cere, quod postea maior utilitas exinde ei adfluat; opus  
autem est ut pro certa teneat istam utilitatem, id est ne-  
cessario, vel mediate vel immediate ex suo consensu pro-  
fuentem.*

- a) An iuris naturalis sit consensus praesumtus, maxima inter DD.  
vigit controvacia. Scriptores utramque probantes sententiam  
citatos inuenis penes HÖPFNERVM in 3. dissert. iure suo  
naturali adiecta p. 248.

### § XXI.

*Constitutis his principiis, quorum veritas dubio premi-  
haud videtur, dissonantia eorum cum praescriptione breui-  
ter est ostendenda.*

B 3

Ex

Ex § VIII. apparet: nihil amitti posse, nisi consensu illius ad quem pertinet, sufficienter declarato; in praescriptione vero non respicitur consensus eius erga quem procedit *a)*, quod possessio sola huius modi adquirendi causa efficiens sit (§ 4.).

*a)* WESEMBECK in Comment. ad ff Tit. de usurp. et usur. § 4. LANGENMAK § 3. p. 5. Sufficeret hoc ad probationem, iuris naturalis non esse praescriptionem, ut vero et aliorum refutemus sententiam vterius progedimur.

### § XXII.

Consensus expressus et tacitus vel derelictionem *a)* vel aliud amittendi modum § XIII. designatum fundant. Si prius res est derelicta, et cedit primo occupanti; posterior ratio fundamentum ponit modo aliquo adquirendi pacto praecedente, in utroque vero casu praescriptione opus non est *b)*. Alii autem adquirendi modi iure naturali non dantur.

*a)* GROTIUS L. 2. c. 4. § 4 et sqq. HUBER in iure ciuitatis Lib. I. S. 3. c. 9. nr. 28 et alii in tacitam derelictionem fundamentum praescriptionis ponunt.

*b)* LANGENMAK § 3. p. 10. et p. 14. in der Anmerkung. MEISTER Cap. 3. §. 2.

### § XXIII.

Consensus denique praesumptus adesse haud potest *a)*; illi enim contra quem praescribitur, nocet praescriptio, nec alia necessario exinde in statu naturali ei procedit utilitas, nisi retorsionis casus, qui vero valde incertus est.

*a)* Huic

a) Huic argumento superstruere videntur praescriptionem et GROTIUS L. 2. c. 4. § 4 et sqq. LAVTERBACH ad ss. L 41. T. 3. § 6. qui tamquam argumentum consensus gentium allegat LEVIT. c. 25. § 29. IUDICVM c. II. v. 261. aliquie.

### § XXIV.

Ex facto negativo nulla oriri potest voluntatis declaratio, quae facultatem adquirendi moralem alteri tribueret (§ XIX.), non usus vero in praescriptione est causa amittendi remota, et in non facto consistit. Casus porro in dicta §. exceptus locum non habet a), opus enim est ut quis laedatur: ut ius de cuius laesione queritur ei competit, quod tamen laesione tertii competere nequit b). Ille vero iniuria tertii ius tenet, qui, quamvis bona fide, ius alii competens, eo inuitu acquisiuit c); adquisitio igitur vitiosa est, unde si dominus verus alteri ius iterum eripiat, alterum non laedat, sed iure suo vtatur d).

a) HERTIVS in notis ad Puffendorf. L. 4. c. 12.

b) IDEM l. c.

c) CISNERVS ad I. I. D de usurp. et usurcap. §. I. CICERO de officiis L. 3. GILKENIVS C. I. cap. I. § 3.

d) LANGENMAK § 3. p. 10. HVBER L. 2. S. 4 c. 5. n. 34.

### § XXV.

Iure naturae tempus solum nullam habet vim effectricem [§ 19.] a), Lapsus vero certi temporis ad praescriptionis efficiam pertinet (§ 2.).

a) PVFFENDORF L. 4. c. 12. § 7. Quod si concederetur, temporis certi determinatio ex natura foret impossibilis LANGENMAK § 10. p. 35.

### § XXVI.

### § XXVI.

Vnde conclusionem ducere licet: *nullam esse iure naturali praescriptionem a)*, imo contra id pugnare, cum alicui inuito ius auferat *b)*; quae cum tamen existat, intelligitur: originem eius a libibus positius esse repetendam.

*a) Codex Fridericianus T. 2. L. 3. § 1.* Sunt qui eam iuris naturalis permisso esse tradunt. GÜBEL in notis ad CONRINGIUM de finibus imperii § 14. RAVE § 10 p. 10. LANGENMAK § 4. p. 16. hanc sequi videntur sententiam; nullum vero datur ius naturae permisso. MEISTER cap. 3. § 2. in notz.

*b) CVIACIVS ad l. 1. de vſarp, et vſuc.*

### S E C T I O III.

*De instituta praescriptionis in statu civili, ex huius fine deducia.*

### § XXVII.

**I**am cum tamen praescriptio, iure naturali non fundata, in pene omnibus rebus publicis inueniatur, merito de eius iustitia quaestio mouetur, ideoque nostro alienum esse instituto haud videtur, ius imperantis in ea constituenda, ex fine reipublicae *a)*, paulo altius indagare.

*a) Valde nobis placet, ab ouo incipere, vt cuiusque principii inferioris nexus cum superiori appareat.*

### § XXVIII.

Cum homines felicitatis externae causa intrarint *a)* societatem ciuilim; quidquid faciendi, quod publicam salutem

tem promoueat, potestatem, per pactum subiectionis in imperantis posuerunt manus *b*). Omne igitur, quod hunc finem effectumque spectat, sit vi pacti, ideoque iustum *c*) et ex principiis parte fas est *d*), quamvis individuo cui-dam damnum adferat, ideoque contra ius naturae pugnet *e*).

*a) HUGO DE ROY* L. 2. T. 2. § 1. p. 149.

*b) SONNENFELS* Sätze aus der Polizey Handlungs und Finanz-Wissenschaft. Tom. I. Wien 1765. § 9. 10 et 11. LOCKE Chap. 6. § II.

*c) HUGO DE ROY* L. 2. Tit. 5. § 2. p. 186. et Lib. 3. T. 4. pr. et § 3. MONTESQUIEU esprit des loix Liv. I. Chap. I.

*d) HUGO DE ROY* L. 2. T. 2. § 1. p. 148. et § 3. p. 152. CICERO de legibus Lib. 3. WESEM BECK ad Tit. ff. de vñspr. et vñsc. § 9.

*e) SUAREZ de legibus* L. I. cap. 7. §. 15. SONNENFELS § 3. p. 10. CVIACIUS ad l. I. de vñspr. et vñsc.

### § XXIX.

Quod cum verissimum principium sit *a*), nec probatio-ne indigeat, nostri tactum est, praescriptionis cum eo nexum indicare, ut illius exinde appareat iustitia. Per-serutandum itaque primum, quid sit publica salus, quam praescriptione promoueri affirmamus; ita ut principia qui-bus ad medios terminos vtamur, auctoritate solum summo-rum in politia virorum fulciamus.

*a) VID. IVSTI Natur u. Wesen der Staaten.* 1760. S. I. § 18. p. 30.

### § XXX.

*Salus* in genere est status, quo res quaedam in summa spectatur perfectione, quae si reipublicae subiicitur, salus

C publica

*publica* vocatur. *Perficitio* vero appellatur consensus virium ad finem quendam propositum maximus, qui quidem in statu ciibili est felicitas omnium externa; unde sequitur: *salutem publicam esse statum reipublicae, quo omnium vires tamquam ad omnium felicitatem externam quam maxime consentientes, spestantur a).* Quaenam ergo ista sit felicitas, et quomodo praescriptio in eam, vim suam exferat, ex hominis societatisque ciuilis et praescriptionis natura eruendum est.

a) HEVMANN V. TEVTSCHENBRVN N Geist der Gesetze Cap. 10. § 1 et 2.

### § XXXI.

Inest humanae naturae nifus feliciorem se reddendi a). Ut externe homo hunc attingat finem natura duobus vtitur mediis, quae cuiuslibet actionis continent rationem; *Vtitat scilicet dolorem et voluptatem petit b).* Quae ergo his satis faciunt, eum externe feliciorem reddunt, contraria infeliociorem.

a) GÖBEL in notis ad Conringium § 14. n. c. DE BIELFELD Institutions politiques P. I. cap. 3. § 4. v. JVSTI Sect. 3. § 31.

b) SCHOTT de fonte iuris naturalis § 6. in Tom. I. Diff. Diff. 9. pag. 294.

### § XXXII.

Priori cupiditati satisfacit, si quidquid vitae suae noceat, repellat, omnibusque rebus gaudeat, quae eam tueri et propagare possint. Sequitur exinde: *securitatem intuitu vitae, et eorum quae ad vitae necessitudinem pertinent, primum felicitatis humanae constituere fundamentum a).*

a) HEVMANN Cap. 6. § 2.

### § XXXIII.

§ XXXIII.

Voluptatis nisus inuoluit hominis facultatem distinguendi varia, quae itidem priorem cupiditatem continent, quorum vero alterum altero suaniores sensus excitat; quo maior ergo eligendi potestas est, eo felicior homo putandus; cum autem commoditas consistat in facultate quadam, e pluribus id, quod maxime placeat suauissimumque est, eligendi; sequitur: *vt commoditas pro altero felicitatis externo fundamento ponit possit.*

§ XXXIV.

Cum hæc cupiditates homo nec vincere, nec extinguere queat, quaestio exoritur, quamnam in statu ciuili vim habere inueniantur?

§ XXXV.

Ex § 28. intelligitur: *republicam esse societatem hominum, qui ad promouendam felicitatem a) suam externam imperio se subiecerunt;* cui definitioni adiici oportet: *esse societatem certum occupantem territorium b).*

In statu naturali iurium aequalitas, parvusque virium cuiuslibet numerus, hominis nimis circumscribebant potestatem, quam vt eius cupiditates, viribus similes manere potuissent; hinc societatem ciuilem ineundi ratio. Ut igitur finem sibi propositum caperet, renunciandum ei erat iurium aequalitati c).

a) ISELIN *Verfuch über die Gesetzgebung.* Zürich 1760. p. 16.

b) BIELFELD P. I. Cap. 3. § 5.

c) IDEM l. c. v. JYSTI Seft. I. § 18 p. 30. MONTESQUIEU Liv. I. chap. 3. p. 8.

### § XXXVI.

Cum res publica sit societas, ergo persona moralis, salus eius duplice modo spectari debet, intuitu 1) exterorum 2) intuitu status interni a).

a) SONNENFELS § 2. p. 10.

### § XXXVII.

Atque a prima ratione, cum homines statum ciuilium necessarium ad felicitatem putent, sequitur: eam pendere a reipublicae conseruatione, ideoque *huius securitatem necessariam esse a)*. Securus vero is dicitur, qui non solum vacat rebus, suam vitam destruentibus, sed et cui potestas est impediendi, ne in futurum dissoluatur b). Quae ergo hanc promouent potestatem, et securitatem augebunt.

a) HUGO DE ROY L. 2. T. 5. § 5. p. 191. SONNENFELS  
§ II et 12.

b) IDEM l. c.

### § XXXVIII.

Potestas vero ista reipublicae, omissis accidentalibus, eo maior esse intelligitur; quo maior ciuium numerus a), *dilectionisque abundantior b)*.

a) BIELFELD T. I. Cap. 5. § 13. SONNENFELS § 23 et sqq.  
auctionem ciuium numeri, pro primo tenet politiae fundamento.

b) BIELFELD P. I. Chap. 10. § 1. VID. IVSTI S. 3.  
§. 42. p. 69.

### § XXXIX.

### § XXXIX.

Pendens itaque potestas 1) a ciuium numero, postulat, ut hic conferuetur et si incrementi locus est, ab imperante augeatur. Cum priori principio pugiat, quando ciui, quem ultimo supplicio affligere salutis publicae causa faserat, hac ratione non amplius existente, vita iuris praetextu auferatur a).

Numerus porro ciuium augeri nequit, nisi converuentur et augeantur ea, quae ad vitae pertinent sustentationem b); haec vero extra hominem posita sunt, eorumque multiplicatio et perfectio vi subest ingenii humani. Ut ergo maxima ex ipso territorio ducatur copia, opus est diligenti eius cultura c), et nisi res, qualitate vel quantitate, sufficientes produci possint, quae deficiunt ab exteris petendae sunt, ita ut aliquid iis vicissimi tradamus d) quod fit permutatione, vel superfluorum ex ipso territorio, vel alienorum ad nos perductorum, sive radium sive ita mutatorum, ut aliquid pretii iis accedat; cum vero emendatio, rerum augeat pretium, haec autem proposita sit, *opificis, manufacturis fabricisque, ad opera vero inde ducta permittanda, opus sit mercatura et commercio e)*; sequitur: *ut horum omnium promotione, et numerus ciuium augeatur.*

a) SONNENFELS § 297.

b) SÜSSMILCH *Göttliche Ordnung in den Veränderungen des menschlichen Geschlechts* Berlin 1775. T. I. Cap. 4 § 55. p. 124.

c) BIELEFELD P. I. Chap. II. § 20 et sqq. ISSELIN p. 30.

d) SONNENFELS § 27. p. 23 et not.

e) HEYMAN Cap. IO. § 1 et 2.

## § XL.

A diuitiis 2) pendere diximus reipublicae potestatem a); diues autem is est, cui multo plura sunt subsidia ad vitam sustentandam, quam necessitas postulat; quo maior ideo eorum in republica copia cernitur, eo minus maximus ciuium numerus extenuari potest, et eo maiora eius sunt remedia, ab exteris petenda, ut damnum imminens auertatur. Quo diuitior igitur respublica eo fortior. Cum autem diuitiae in copia pretioque productorum consistant, intelligitur: iisdem eas augeri mediis, quibus numerum. Interest ergo reipublicae, ne his ponantur impedimenta b), quod fit, si causa quaedam efficiat, ut res corporales maneant incultae. Incertitudo autem dominiorum, rerum secum fert negle-  
ctum c), itemque lites, quae necessario quibusdam formula-  
rum ambagibus pertractandae sunt, ciues ab illarum virget  
cultura; ex quo consequens est, ea quibus fermentur dominia;  
civesque a litibus remoueantur d), reipublicae proficia esse.

a) BIELFELD P. I. Chap. 10. § 1 et 6. SONNENFELS  
§ 34. p. 36.

b) ISELIN p. 30.

c) Huius probationem vid. infra § 45 et 46.

d) CICERO pro Caecina et de off. L. 2. c. 23. LANGENMAK  
§ 4. p. 16. VASQVIVS Cap. 51. § 10. PVFFENDORF  
L. 4. C. 12. § 5. BIELFELD P. I. Ch. 6. § 21.

## § XLI.

Iam vero respectu status reipublicae interni ex § 31 - 34.  
sequitur: eo maiorem esse salutem publicam, quo maior securi-  
tas et commoditas singulorum a).

a) SONNENFELS § II. p. 15. BIELFELD P. I. Ch. 4. § 2.

## § XLII.

## § XLII.

*Securitas* hoc loco non solum ad vitam, sed ad omnia pertinet, quae quis pro propriis tenet, vnde eam dicere licet: statum liberationis ab omni eo, quod aliquem ab eorum, quae priorum loco tenet, vsu integerrimo arceat a). *Proprium* vero id appellamus, quod quis dominii opinione habet, vel quia alienum esse ignorat, vel ab obligatione se liberum credit.

a) GÜBEL in notis ad Conringium § 14. not. e. ISELIN p. 35.

## § XLIII.

Haec securitas et per alios cives turbari potest a); quod si sit iuris quadam specie, iudices necessarii sunt b), quorum officium est, applicare leges ad factum propositum; quae applicatio vt recte procedat, opus est, facti, quo actio nititur, circumstantiis diligenter expositis; alioquin lis ex parte actoris in perturbationem degenerat c), qua alterius securitas laeditur. Quae circumstantiae, quando ex communiorum natura perspicuae esse nequeant, probationis neruo deficientes d), singulorum securitas postulat; vt modo aliquo actor repellatur. Cum vero omnia subsint temporum iniuriis, omnino statuendum est: quo vetustius factum eo obscurius esse solere; vnde apparet: *necessum est*, vt certum ad agendum tempus figatur, quo lapsu actor repelli possit exceptione ex lapsu temporis ipso deducta e).

a) Nam exteri et natura ipsa eam turbare possunt. SONNENFELS § 234.

b) IDEM § 252.

c) RAVE § 130. not. a. p. 248.

d) PVR

d) PUFFENDORF L. 4. c. 12. § 5.

e) RAVE l. c. n. c. et d.

### § XLIV.

*Commoditas in quibus rebus consistat, ex § 33. patet; quae ut locum habeat copia opus est et varietate rerum e terra productarum. Natura autem sine opera humana, nimis parvum simplicemque rerum procreat numerum, quam ut hominum satisfiat cupiditati; parcimoniam hanc hominum labore suppleri necesse est; quod fit terra colenda, emendandis ex ea productis, denique permutandis iis cum aliis (§ 39). Vnde apparet: eadem ratione comoditatam singulorum augeri, qua opes totius reipublicae intuitu exterorum firmantur, ideoque illam ab iisdem pendere artibus, quibus has proficiisci vidimus.*

### § LXV.

*Homines autem diversa praediti sunt corporis et ingenii  
vi a); amor sui ipsius, in natura nostra positus, praestat amori  
erga alios, nec fortior ideo pro debili, nec prudens pro stulto  
vires suas adhibet, nisi commodo quodam praecipuo gaudeat.  
Cum vero maxima rerum cultura nasci nequeat, nisi omnes  
adhibeantur vires; necessitas appetit iuris exclusui, quod  
dominium vocatur b), itemque modorum quo adquiratur c).*

a) MONTESQUIEV Lib. I. Cap. 3.

b) v. JUSTI Sect. 2. § 29. p. 43. CATHARINA II. *Instruction  
zu Verfertigung eines neuen Gesetzbuchs Cap. 13. § 294 seqq.*  
*Aliam sententiam colit autor anonymous in libro *Code de la  
nature ou le véritable esprit de ses loix de tout temps négligé  
ou méconnu*. Qui statuit: absque rerum omnium communione homines in societate ciuili viventes felices esse haud posse. Eum refutat SCHOTT in diff. de origine dominiorum.*

b) HUGO DE ROY L. 3. T. 3. § 2. p. 243.

### § XLVI.

## § XLVI.

Nec tamen desunt casus, vbi aliquis vel ex negligentia domini vel ex alia cœla, rem tamquam propriam tenet, quae revera ad alium pertinet; quando vero prioris domini ius nulli subest extincione; sequitur: vt, vel in omni pacto circa res, adquisitus sibi dari iubeat domini probationem cuiusque anterioris possessoris, vsque ad originarie adquirentem vel possessorem immemoriam a), idque eam ob causam, vt ipse securus sit; vel perdendae rei quam adquisitam, tenet timore ab ea perficienda et colenda impediatur b). Cum vero rerum frugiferarum cultura, productorum perfectio et prompta eorum permutatio, ad emendanda opificia et commercia præsertim cum exteris, plurimum valeant c); intelligitur: haec omnia dictis impediri difficultatibus, ideoque singulorum turbari commoditatem. Apparet exinde necessitas modi cuiusdam certa reddente dominia, et ab aliis adquirendi modis diuerso.

a) VASQVIVS L. 2. C. 51. § 10 - 18.

b) CATH. II. *Inſtruſion etc.* Cap. 13. § 296. CISNERVS ad l. I. D. de usurp. et usurcap. § 9. HVGO DE ROY L. 3. T. 3. § 2. p. 243.

c) PVFFENDORF L. 4. C. 12. § 5. MONTESQUIEU T. 2. C. 12. p. 171. Lites absque praescriptione esse infinitas vide Politisches Journal, May 1787. p. 552.

## § XLVII.

Ex principiis hac ſectione propositis, ſequentes ducere liceat conſclusions: Quidquid pertineat ad conſeruandum ci- vium numerum (§ 39.) ad minuendas et extinguendas lites  
D (§ 43.)

(§ 43.) et ad confirmationem et certiorationem dominiorum,  
 (§ 46.) etiam promouere salutem publicam.

### § XLVIII.

Quo quidem effectu praescriptio gaudet; transfert enim ius, ex non vsu alterius amissum, ob possessionem per tempus definitum [§ 1.]. Iure igitur imperantis, ultimo supplicio afficiendi quosdam delinquentes, ad hos transmissio, siue eo extinto, hi reipublicae conseruantur *a*). Translato iure actoris in rem, lis est extinta. Transgesso denique iure domini ad alium, qui rem alienam tamquam propriam tenet, is de dominio suo certus redditur.

*a)* Caeterorum criminum praescriptio quae ultimum supplicium secum non ducunt, commodius ad præscriptionem [actionum] refertur.

### § XLIX.

Sequitur denique ex his omnibus; cum omne in republica iustum sit, quod salutem promoveat publicam, præscriptio vero hunc attingat finem, merito imperanti fas esse, eam constituere *a*).

*a)* Ex aliis fundamentis præscriptionis iustitiam deducunt HVGO DE ROY Lib. 3. T. 4. § 1 et 2. SVAREZ Lib. I. cap. 17. n. II. aliisque.

### SECT. IV.

## S E C T I O I V.

*De specialioribus circa praescriptionem determinationibus,  
ex eius natura et fine.*

### § L.

**Q**uodlibet institutum sua gaudet natura et fine, in quibus omnia latent, quae ad maiorem eius pertineant determinationem, quorumque deductio clarus, et ad applicationem in singulis casibus aptius illud reddit.

### § LI.

Praescriptionis *natura* in eo consistit, quod per illam adquiratur ius alienum ex non vsu alterius amissum, ob possessionem, per tempus definitum continuatam [§ 1]. Eius *finis* remotissimus est publica salus, quae propinquiore cuiusque praescriptionis fine promouetur [§ 48]. Adquisitiva enim et extintiua obligationum, contra libertatem naturalem concessarum, ad certioranda dominia tendunt; extintiua autem actionum et criminum non capitalium, ad finiendas lites, capitalium denique ad homines conseruandos spectant.

### § LII.

Partes cuiilibet praescriptioni essentiales ex § 2. innotescunt; quaenam vero earum sint determinationes ex natura et fine praescriptionis in genere et in specie nunc indagemus.

D 2

§ LIII.

## § LIII.

Cum praescriptio modus sit adquirendi, requiritur *in fibieō actiuo, facultas adquirendi a).* Duplex autem est adquisitio; patrimonium enim adquirentis augetur vel affirmativa vel negatiue b); quarum priori, ut locus sit e iure naturali, opas est adquirentis tum voluntate tum hanc sufficier edendi facultate; negatiue vero omnibus adquirere licet, nulla voluntatis habita ratione, cum et inuitus ab obligatione liberetur.

a) CONRING. Cap. 19. Codex FRID. P. 2. L. 3. T. 5. act. 1. § 7. et act. 2. § 35. Nobis venia sit leges huius legislationis allegandi, non ut positivas, sed tamquam in ratione et rerum natura fundatas.

b) RAVE § 89. 3.

## § LIV.

Ex ratione speciali publicae saluti conueniente leges ciuiles vtramque adquirendi facultatem mutare et definire possunt; vnde fluit: eum solum praescribere, qui iure naturali seu ciuili ea adquirendi facultate gaudeat, quam quaelibet praescriptionis species poscit a).

a) PVFFENDORF L. 4. c. 12. § 2. LAVTERBACH L. 41.  
T. 3. § 14.

## § LV.

*Obiecto* indiget praescriptio, quod adquisitioni obnoxium; cum vero iure naturali ius alienum citra voluntatem domini non transferatur, ut sit in praescriptione; sequitur, hanc determinationem a iure ciuili pendere. Quidquid igitur leges disponit.

dispositioni ciuium exemerunt, nec praescriptione adquiri licet a).

a) LANGENMACK § 6. n. a.

### § LVI.

Praescriptio cum per possessionem procedat, requirit ex parte praescribentis facultatem physicam aliquid faciendi vel omittendi; coniuncta autem esse debet, animo sibi habendi ius ex quo ipsa fluit a), nemini enim comodum citra voluntatem obruditur b), animi vero in iure nulla vis nisi declarati; quae declaratio fit vsu iuris, animum indicante.

a) HVBER L. I. S. 3. c. 9. n. 7. et seqq.

b) LAVTERBACH L. 41. P. 3. § 8. CISNERVS ad l. 9. v. 45. de usurp. et usucap. § 4.

### § LVIII.

Haec facultas, et quem inuoluit non vlus alterius, diuerso modo fese exerunt, secundum obiecti praescribendi diuersitatem. Ius enim affirmatiue augens patrimonium praescribentis [in praescriptione adquisitiua] poscit factum quodam affirmatum, quod in praescriptione translatiua, facultatem tribuit, de re vel corporali vel incorporali disponendi; quae vero facultas deficit, re non translata; vnde sequitur, vt haec praescriptio ad possessionem requirat, rei corporalis traditionem, et iuris cessionem.

a) RAVE § 7. 49. 67.

## § LVIII.

In praescriptione constitutiva, quando ius inter praescribentem et alterum constituendum affirmatum est [in praescriptione seruitutum personarum et rerum in faciendo constitutum et aliorum iurium] exigitur ad possessionem, iuris exercitium, vel negatione libertatis alterius naturalis, vel exactione et acceptatione eius, quod deberi creditur; alterius vero non usus, in satisfactione obligationis affirmatiuae, quae reuera non adest, consistit.

a) RAVE § 84.

## § LIX.

Iuris negativi [in praescriptione seruitutum rerum] cuius obligatio in patiendo est [affirmatiuarum], possessio postulat, vel facta [simplicium] quae ex isto iure fluunt, vel opus manufactum [qualificatarum] quae alterius libertatem naturalem restringunt. Huius possessionis non usus conueniens illorum patientia se exserit. Ius negativum vero, cui obligatio non faciendi respondet [negatiuarum] possidetur, quando alteri libertate naturali vtenti eius usus prohibeatur, et is in hac prohibitione adquiescat.

a) RAVE § 67. et 68.

## § LX.

Ius denique quod negatiue solum auget praesribentis patrimonium [in praescriptione extintua] et quidem ita, ut aliquid ei accedit, quod contra libertatem naturalem concessum erat [seruitutum] possessioni subiectum est, negata  
praesta-

præstatione, si affirmativa est obligatio, alter vero iure suo non vtitur, quando in hac negatione adquiescat.

a) RAVE § 103 et 117.

### § LXI.

Si negativa est obligatio, et in eo consistens, quod quis vel facta alterius, vel opus manu factum pati teneatur, possessio oritur, prohibitione et impeditione factorum, vel operis destructione, quae patientia alterius adgnoscuntur.

a) RAVE § 103.

### § LXII.

Quando in non faciendo consistit obligatio, liberationis ab ea possessio proficiuntur, a facto quodam libertati naturali conforme, contra alterius ius suscepito; non usus vero ex alterius parte procedit, negationis omissione.

a) RAVE l. c.

### § LXIII.

Quando tandem negativum patrimonii augmentum ita fit, ut solum impedit, nec quid praescribens amittat, quod alias ex obligatione quadam amississet (in præscriptione actionum et criminum) possessio liberationis requirit ex parte praescribentis, non præstationem eius quod debetur; ex parte non vtentis, exactionis omissionem.

a) RAVE § 129. § 157. § 160.

### § LXIV.

## § LXIV.

Vt autem ex his factis et non factis praescribentis, praescriptio procedat, opus est voluntate et facultate possidendi; siue tale aliquid committendi, quod possessionem, ad quamcumque praescriptionis speciem necessariam fundat. Qui igitur ex lege naturali vel ciuili, his non gaudet, nec praescriptione adquirit.

- a) HVGO DE ROY L. 3. T. I. § 5. nr. c. Codex Frid. P. 2.  
L. 3. T. 5. act. I. 47. CISNERVS ad l. 4. de usurp. et  
vsuc. § 1.

## § LXV.

*Adquisitiuae et extinctiuae iurium*, contra libertatem naturalem concessionum finis est, dominii certioratio; cum vero dominium incertum non sit, quando vnu solummodo aliquius rei dominium sibi vindicet, sequitur: praescribentem possidere debere dominii opinione; quod quidem fieri nequit, quando scit, rem alterius esse; vnde intelligitur: opus esse ignorantia, rem ad alium pertinere a), siue bonam fidem requiri b); et cum deficiente hac ignorantia, dominii opinio cesset; consequens est; bonam fidem per totum exigi tempus c). Ex errore autem excusabili ortum ducere debet, alias praescriptioni locus non relinquitur d).

- a) MEISTER de fide eiusque iure in vsuacione et praescriptione Cap. 2. § 2.

- b) GUNDLING Ius naturae et gentium cap. 22. § 23. HVGO DE ROY L. 3. T. 7. § 3. LANGENMAK § 8. not. c. p. 28. RAVE § 55. p. 86. et § 91. n. I. p. 165.

- c) PVFFENDORF L. 4. C. 12. § 5. LANGENMAK § 9. p. 39.

- d) RAVE § 56. p. 88. MEISTER Cap. 3. § 4. et sqq.

## § LXVI.

## § LXVI.

In praescriptione translatiua, cum possessio rei, eius translationem requirat, haec vero sine aliqua praecedente causa iuste fieri nequeat; patet: requiri *titulum*, et quidem ad dominium transferendum habilem, cum de hoc quaeratur a).

a) GVNDLING l. c. PVFFENDORF L. 4. C. 12. § 5. LANGENMAK § 8. no. c, p. 28.

## § LXII.

*Titulus* igitur vel causa, qua cognoscitur unde ius nobis competere possit, ut iustus sit, requirit in alienante non domino consensum in id quod alteri placet. Quando vero error exoritur ex parte praescribentis, isque iuris est, praescribenti nocet a), non vero si facti b).

a) CISNERVS ad 1. 9. D. de usurp. et usurp. § 15.

b) IDEM l. c. § 10. n. b. et c. MEISTER Cap. 3. § 4. et seqq.

## § LXVIII.

Cum iuris alieni possessio, animo sibi habendi coniuncta, semper inuoluat, non usum alterius; sequitur ut praescriptio obtineat: requiri in eius persona, utendi facultatem et hanc exercendi omissionem; illi enim, qui uti non potest, negligentia non usus imputari non licet b), et qui exercet, ei usus omissione obici nequit.

a) RAVE § 59. p. 93. Cod. Frid. P. 2. L. 3. T. 5. act. I. § 23.

b) PVFFENDORF L. 4. C. 12. §. 2. Vnde regula: agere non valenti non currit praescriptio. HVGO DE ROY L. 3. T. 8. § 5. et ibi citatos scriptores. RAVE § 13, n. a. pag. 13. LANGENMAK § 12.

E

## § LXIX.

## § LXIX.

Vt vero ex facto siue non facto quodam in statu ciuilli, juris effectum ducere liceat, necesse est; vt sit scientis a), et libere volentis b).

*Ignorantia vel vincibilis est vel invincibilis, atqui non usus ex hac numquam nocere potest; omnino autem ex vincibili, quo pertinet juris, facti proprii et aliquando alieni ignorantia c).* *Coactus quis non vtitur, quando impedimenta extra culpam suam ei occurunt, quae remouere in eius protestate non est.*

a) RAVE § 62. p. 101.

b) HÖPFNER § 17.

c) HYGO DE ROY L. 3. T. 8. § 1. 2. et 18. MEISTER I. 3. §§.

## § LXX.

Quae omnia cum accuratori legum determinationi subiecta sint; inde fluit: possessorem demum praescriptione adquirere, quando subiectum passuum naturaliter et ciuiliter in ignorantia vincibili haereat, eiusque usus omissio libere fiat; alias tempus non currit et dormire dicitur praescriptio.

## § LXXI.

Possessionis obiectum poscit, vt physicae potestati subesse, siue vt possideri possit tamquam ius a). Naturaliter igitur res merae facultatis, cum a libero arbitrio alterius pendeant, qua tales possessioni obnoxiae non sunt b), ideoque nec praecriptioni.

a) LAN<sup>g</sup>

a) LANGENMAK §7. n. 6. p. 26.

b) IDEM loc. cit. GROTIUS L. 2. c. 4. § 15. LAVTERBACH Lib. 41. T. 3. § 18. Cod. Frid. P. 2. L. 3. T. 5. act. I. § 27. et act. 2. § 38 et 39.

### § LXXII.

Cum res, quae praescriptione adquisitiua adquiruntur, opinione dominii possideri debeant, intuitu iurium maiestaticorum vero, haec opinio cadat, sequitur: *iura maiestatica praescriptioni obnoxia non esse a).*

a) Ex hoc et alis fundametis impraescribilitatem regalium deducunt HVBER L. 1. S. 2. C. 9. n. 4. GROTIUS L. 2. c. 4. § 12. et HENNIGES ad hunc locum. LAVTERBACH L. 41. T. 3. § 17. CONRING C. 19. § II et seqq. LANGENMAK § 6. no. 8. THOMASIVS de praescriptione regalium. RAVE § 14. alios vid. apud VASQVIVM L. 2. C. 2. § 14. ARNISAEVM de iuribus maiestaticis C. 2. § 5.

### § LXXIII.

Reipublicae licet et alia eximere a), vnde intelligitur: quidquid vel natura vel lege commercio hominum exemtum, siue possessioni non obnoxium esse, nec praescriptione adquiri posse.

a) HENNIGES ad Grotium L. 2. c. 4. § 15. n. 2 et 3. LAVTERBACH L. 41. T. 3. § 17. LANGENMAK § 6. no. a.

### § LXXIV.

Possessionis *continuatio* fit, vel in persona eius qui eam adeptus est, siue quod ipse, vel aliis eius nomine possideat, vel in persona alterius ad quem iusto quodam titulo peruenit.

a) CISNERVS ad l. 2. D. de usurp. et usurcap. § 5.

E 2

§ LXXV.

## § LXXV.

Continuationi possessionis contraria est eius *interruptio*, quae fit, quando ei impedimentum ponatur, quod in omni praescriptione contingit ex persona praesribentis, cessante animo sibi habendi, facto contrario declarato; ex persona vero subiecti passiui, cessante eius non vsu, quod fieri potest, vel naturaliter, facto quodam alterum de iuris competentia certum reddente, vel ciuiliter, mota lite. Intuitu rerum corporalium et iurium iiscum connexorum, praescriptio interrumptur, quando facto subiecti passiui vel tertii, vel casu possessor potestatem illam de re disponendi amittat.

a) RAVE § 33. p. 52.

## § LXXVI.

Iam possessio per definitum tempus continuari debet; quoad eius vero determinationem ex natura et fine praescriptionis generali et speciali, quaedam statui possunt regulae, quas hic ponere lubet. a) A qualitate, quae vi cuiusdam status praesribenti vel subiecto passiuo ineft, intelligitur: 1) quo maiorem capiat vtilitatem respublica, obiecti ad praesribentem transgressu, eo minus temporis spatium necessarium esse. 2) quo vtilius sit reipublicae, obiectum praescribendum penes certam manere personam, eo maior ad praescriptionem opus esse tempore. b) A gradu negligentiae concluderé licet: quo vincibilior sit ignoranta, et quo maior negligentia eius, contra quem praescriptio currit, eo minore temporis lapsu eam indigere, et vice versa a).

a) PUFFENDORF L. 4. cap. 12. § 9. GROTIUS L. 2. c. 4. § 6.  
LANGENMAK § 12. LAVTERBACH L. 41. T. 3. § 29.

## § LXXVII.

## § LXXVII.

c) Ab *objetti qualitate* regula deducitur haec: quo magis reipublicae inter sit, strenuam esse rerum permutationem, eo minus requiri temporis. At cum res *mobiles* praesertim mercaturae *objektum* constituant; necesse est, ut breuiori prescribantur tempore quam *immobiles* a).

a) PVFFENDORF. L. 4. c. 12. § 9. GUNDLING C. 22. § 23.

## § LXXVIII.

Intuitu *rerum incorporealium*, sive iurium, quando cum rebus corporalibus cohaereant, eodem transire debent tempore, quo haec; si rebus non cohaereant, ad negligentiam subiecti passiui respiciendum idque tempus statuendum esse videtur, quo homo mediocriter diligens res suas curat.

a) LANGENMAK § II.

## § LXXIX.

Cum vero haec rerum et iurium praescriptio citra possessionem, ex parte praescriptoris quaedam requirat, sine quibus obtinere nequeat; magis autem inter sit reipublicae, dominia esse certa, quam talis malitiae favor, singulique damnum noxa ei adferat; intelligitur: simulac possessio adsit, praescriptionem absque iis requisitis procedere debere in poenam negligentiae, constituto tamen longiori tempore, nisi in iis quae ex boni publici causa plane nulli subsunt praescriptioni.

a) Codex Frideric. T. 2. L. 3. T. 5. art. 2. § 32. PVFFENDORF L. 4. c. 12. § 2.

E. 3

§ LXXX.

## § LXXX.

In praescriptione *extinctiva actionum ciuilium et criminallium*, quatenus ad damni restitutionem spectant, cum ad minuendas et extinguedas lites tendat, ratio habenda esse videtur, possibilitatis probationis; vbi igitur ex natura ipsa, argumenta ultra certum tempus valida esse nequeunt, id tempus limitis loco constitendum est, intra quem solum ius agendi subsistat.

a) GILKENIVS P. I. C. I. § 54.

## § LXXXI.

Quod denique ad *crimina* siue *actiones poenales* attinet, eas tamdiu durare oportet, quam finem poenae attingere licet a). Poena vero infligitur correctionis et exempli causa. Illa opus non est, vita per multum temporis a delinquente bene peracta; haec vero cessat, quando factum, cuius causa poena infligitur, in hominum memoria non amplius versatur; quod ipsum tamen a cuiusque delicti natura pendet b).

a) ENGAV von der Verjährung in peinlichen Fällen. § 6. not. 3.  
SONNENFELS § 296 et 97.

b) RAVE § 159. p. 302. PUFFENDORF L. 4. C. 12. § 2.

## § LXXXII.

Requirit denique praescriptio *totius definiti temporis lapsus*, quod cum a possessione pendeat; intelligitur: eius cursus initium capere a momento adeptae possessionis; igiturque in rerum corporalium vel incorporalium praescriptione translatiua, a facta

a facta traditione vel cessione; in constitutiua et extintiua iuriū, a primo actu possessorio a); in extintiua vero actionum, a natae actionis, in criminibus denique a delicti commissi b) momento. Durat usque ad lapsum temporis definiti; cum vero momenti probatio difficultis sit, prudentiae est a die in diem computare, ita ut dies ultimus, vel coepitus vel completus, praeescriptionis sit finis.

a) RAVE § III.

b) IDEM § 160.

## LVTHARDO S. KIRSTEN.

In legum Ciceronianarum libellis haud scio an nullus locus  
aeque obscurus sit atque ille, qui de Sacrorum transferendo-  
rum modo tractat<sup>1</sup>. Cuius expediendi rationem cum Tibi,  
Optime Lutharde, cordi esse intellexisse, omni studio atque  
opera in eo elaborauit, vt per hanc *Tibi* occasionem, qualem-  
cunque meam erga *Te* voluntatem declarasse viderer. In quo  
cum parum ipse meditando profecisse, consului Interpretates  
summos quosque, *Balduinum et Gutherium*<sup>2</sup>, *Adr. Turnebum*<sup>3</sup>,  
*Gronovium*<sup>4</sup>, *Iac. Voorda*<sup>5</sup>, *d'Arnaud*<sup>6</sup>, *Schwarzium*<sup>\*</sup>, et *Hei-*  
*neccium*<sup>7</sup>, qui, praeter hunc, omnes separatis, singulari cum  
eruditione, verborum sensum explicantes, nec rerum seriem,  
nec calumniae, qualis quidem a Cicerone putatur, vim nota-  
runt. Quidquid enim Gronovius et *d'Arnaud*, qui omnium  
vberrimi sunt, effecerint, id non nisi ad *Legatarium partiarium*  
*haeredemque fiduciarium* spectat: quae intellectu haud difficilia  
rei ipsi parum affundere lucis videntur. Siue enim cum Gro-  
novio<sup>8</sup> et Ernestio<sup>9</sup> Partitionem statuas genus *Legati*, unde *Le-*

gatarius

<sup>1</sup>) De Legg. II, 20. 21.<sup>2</sup>) *Jurisprud. Muciana* a p. 69. ed. Bas. et *Guther. de Iure Pon-*  
*tificis* II, 6. p. 178.<sup>3</sup>) In Comment. ad h. l. ed. Daunes. et *Aduersar. I*, 18.<sup>4</sup>) *De pecun. Vet. IV*, 7. p. 303.<sup>5</sup>) *Dissert. de Legat. Partit.* § V. p. 438.<sup>6</sup>) *Var. Coniect. in Ius Civ. II*, 1. 2.<sup>\*)</sup> *Diss. de sacror. defestat.* Altorf. 1726.<sup>7</sup>) *Histor. Iur.* p. 18. ed. Ritt.<sup>8</sup>) *I. l.* p. 303.<sup>9</sup>) *Clau. Cic. sub voc. Partitio.*

gatarius aequalem cum ceteris haereditatis portionem acceperit; siue, quod magis probatur, cum d'Arnaud<sup>10</sup> contendas fuisse Legatum, in favorem cuiuscunque scriptum, ita ut certa Legatario pecuniae [patrimonii, v. Vlp. in l. Pecua. D. de V. et R. sign. et Hermogenian. l. 222. de V. S.] pars, v. c. dimidia, si simpliciter cum herede, aut qualiscunque, si cum pluribus diuidendum erat, tribueretur<sup>11</sup>; locus difficultatibus haud caret. Nam quid C. numi detrahendi [id enim est deducere ut Off. I, 18. cf. Non. 4, 142. et leg. si in testamento, ut C. numi deducerentur, scriptum non fit\*] proprie significant, quos is, qui testamentum fecit, non deduxerit, et quae horum vis sit ad liberandum Legatarium a Sacrorum onere, ego sane nullo modo esse quor, nec laudatorum Virorum quisquam explicauit. Nam quod Gutherius putat C. numeros deductos esse, propterea quod, ubi hoc modo Legatarius heredibus omnibus minus ceperit, sacris non teneretur; nulla profecto illius cautionis ratio appetet, quotiam Legatum, cetera hereditate vel esse minus, deducendi necessitate carebat. Tum ego certe haud video, quomodo deductio, siue a Testatore verbis expressa, siue a Legatario ipso facta, Sacrorum religionem sustulerit, quod e partitionis natura sequitur, ut, qui pro rata pecuniam diuidet, is pro parte item sua onerum in communionem veniret. Quam ipsam causam fuisse arbitror,

<sup>10</sup>) l. l. p. 223.

<sup>11</sup>) V. Vlpian. l. 164. § 1. D. de V. S. partitionis, inquiens, non men non semper dimidium indicat, sed prout est adieclum, potest esse et maxima (bene Gesu. in Thes. millefima) et vice-sina et tertia etc. vnde Particulones omnino pro coheredibus, quod partem Patrimonii sumerent. v. Pomp. ap. Non. I, 71.

\* ) Nam deductio accipere pro deductione displaceat, quod eiusmodi formandi ratio in Patrum Ecclesiasticorum v. Meursius in Critico Arnob. c. 13. non Ciceronis aetatem cadit.

arbitror, quare summi ingenii eruditionisque Vir, Fr. Balduinus<sup>13</sup>, se ignorare sateretur, quid C. illi numi sibi yellent, non, vt Gutherio placuit<sup>14</sup>, negligentia eorum, quea cap. sequenti leguntur. Nam primum dubium est, vtrum C. numis certa summa definita sit, an pro tenuissima quaue dicta, vt Hor.<sup>15</sup> Romani pueri longis rationibus assēm discunt in partes centum dividere i.e. partes minutissimas diuidere. Deinde haud constat, vtrum eos sibi heredum quilibet detrsxerit, vt fere in quarta Falcidia, an summa, Legato demta, hereditati toti acreuerit. Denique nec illad certum est, numi illi pecunia numerata solvendi fuerint, an rebus vendibiliibus detrahendi. In quibus rerum difficultatibus intelligamus, Amice Suauissime, id quod Cicero ipse praecipit<sup>16</sup>: vitium esse, nimis magnam operam in res obscuras easdemque non necessarias conserre: et curiosi esse, omnia, cuiuscunque modi sint, scire cupere; duci vero maiorum rerum contemplatione, prudenter esse exsiliandum<sup>17</sup>. Quo quanquam nec reliqua referenda arbitror, tamen cum lucis qualiscunque capacia sint, hanc iis accendere, opera nostra ne indignum putemus.

Ostensurus Cicero quam parum sibi Scaeuelae consentiant, similibusque in rebus contrarias rationes teneant, eorum de Donatione Filii fam. iudicium in medium profert. Quo in exemplo nihil aliud inesse arbitror, quam comparandi modum ex eo, quod Pontifices in Legatario concedant, quod in Donatario negent, neque adeo necessarium esse, vt cum Balduino Iuris-

<sup>13</sup>) In Iurisprud. Muciana, p. 73. edit. Basil. vbi multa prae-clara, sed impedimentis tollendis non satis idonea.

<sup>14</sup>) l. l. p. 179.

<sup>15</sup>) Art. P. v. 325.

<sup>16</sup>) Off. I, 7.

<sup>17</sup>) De fin. V, 1g.

Iurisprud. Mucianae p. 77. suspicemur, totum hunc locum ab inepo interprete esse assutum. Sententia quidem huc redire videtur: si Legatarius, Testatore non iubente, C. sibi numos detrahat, id eos ratum docere; si contra Donatarius donum, inscio Patre fam. sibi promissum, arroget, id eosdem irritum pronuntiare. Atqui cum in vtroque genere Patrisam. spectetur voluntas et auctoritas, vtriusque diiudicandi parem rationem arbitratur. In quo, pace eius dixerim, errat. Neque enim res sunt similes, nec comparandi modus idem. Scilicet Legatarius, quod omne Legatum a fauore proficiscitur, recte sumere poterat, Testatorem sibi molestiae esse noluisse; quare, si Sacrorum auertendorum caussa C. sibi numos, non scriptos, ipse detraheret, habebat, vnde se boni *Viri praeumptione* tueretur. Cuius principii veritatem Scaeuelae agnolcentes, nihil contra Testatoris voluntatem factum interpretabantur. Quod contra erat in Donatario, qui iuenum, ni fallor, corruptor, si amoribus adiuuandis, pecunia repraesentanda etc. vnius alteriusque impuberis leuitatem ad donum sibi, Patre fam. inscio, promittendum pellexisset, id mortuo Patre, vindicaturus, quo tandem fauore nitiebatur? Nam illud quidem absurdum est, praesumere Parentum in rebus ad liberorum perniciem spectantibus caritatem. Nisi forte parentes nostros putemus gratiam habituros siue Judaeis, siue horum similibus Christianis, qui male officiosi, ingentis lucri spe, nobis suppedident, vnde per vnum alterumque diem genio indulgere nostro possumus. Deinde, in donatione Filii fam. si rem proprius spectes, erat pecuniae, a iusto domino ad alienum translatio, quae iustitia vacat, liberalitatisque nomine laudari nequit. Nam siue pertinuerit ad peculium profecticum; in patris fam. potestate erat, nec huius donandi facultatem Filius fam. habebat: siue bona paterna spectauerit, vnde mortuo Patre Donatario par-

tem qualemcumque concederet; multo minore iure gaudebat. At quidquid Patersam, in testamento scripserat, aut scribere voluisse sumi poterat, id iure suo fecerat; quod ipsum, si Legatarius acciperet, sibi vindicaret, et ipse conditione sua vtebatur. Ut, quid sentio, dicam, Scaeuelae mihi videntur hac omni re infringere voluisse lenonum aliorumque improborum licentiam, qui imprudentum iuvenum bonis inhiantes quidquid ad satiandam libidinem pertineret, largiter iis ministrarent.

Sequenti in loco, qui est de vindicanda sibi parte, a Legatario caute relolta, res ipsa docet meram contineri Iureconsultorum umbraticorum quaestiunculam, quae, ut sit, magis ingeniali ostentandi, quam usus caussa iactaretur. Vnde hoc sequi arbitror, ut ne quaeramus, quomodo exemplum a Cicerone propositum cum Iuris principiis consentiat, aut quae omnino Iuris illo tempore ratio videatur. Quaestio posita est in possibiliitate, super qua, quot nugae agi possint, optem ut alieno potius, quam nostro exemplo teneamus. Neque enim illius temporis Iureconsultos disciplinae suae adeo ignaros sin gere par est, ut, hereditatem aut totam cernandam, aut deferendam, Legatique partem neglectam ab alio vindicari haud posse, ignorarint \*. Res, haud dubie, haec est. Iureconsulti sumebant stupidum quendam, qui iuris plane ignarus a patre suo prudenter neglectam Legati partem sibi posceret, quae adiuncta ei pecuniae, quam pater cepisset, major esset summam, reliquis heredibus, relista: quo facto, hunc solum sine coheredibus, ad sacra facienda obstrictum pronuntiabant.

Legauer-

\* ) In quo haefisse video Baldinum l. l. p. 73. quippe quod Iuri communi profus sit contrarium; quae dubitatio hac interpreundi ratione tolli videtur.

Legauerit Cajus Titio septuncem, reliquisque heredibus quincuncem. Sacrorum euitandorum caussa, deductionis ope, Titius ceperit quincuncem, heredibusque concesserit septuncem: qua liberalitatis specie Sacrorum onere liberabatur. Iam moriatur Titius anno post, reliqueritque filium, qui stulte avarus heredes reliquos adeat, atque duas vncias, patri mortuo debitas, sibi flagitet; qua parte, non inuitis, arbitor, heredibus accepta, vltro apparat, eum Sacrorum onere fuisse grauatum. Quo in genere quis quaerat de iure? Sunt iura haec stultitiae, quibus eam, cum ipsis, tum aliorum caussa frui, nemo non prudens permittit: vt, si quis nostra aetate heres patrimonii, aere alieno obruti, scriptus, hereditatem non creuerit; quam caute desertam, si filius se aditum significarit, scilicet Creditores ius suum vrgeant, irretitamque auem laqueis emittant!

Alter Sacrorum amoliendorum modus constat emotione venditione per aes et libram; quem male, ni fallor, Gutherius confundit cum illo, qui fit Testamento per aes et libram, hic certe alieno<sup>18</sup>. Verba enim, *is per aes et libram hereredem testamenti soluat*, non ad Testatorem, sed ad yerba, cui plus legatum fit i. Legatarium, referenda esse, insipienti pater. Atque hic iubetur e cautione Pontificum heredem Testamento solvere. Ad quem modum explicandum d'Arnaud<sup>19</sup> confudit ad senes coemtionales, qui occurrunt Or. pro Mur. 12. ad Fam. 7.  
29. et Plaut. Bach. 4. 9. §2. eosque cum Salmasio explicat vi-les pauperesque homunculos, quibus Legatarius bona sua cum sacriss, uno aesse s. immo, dicit caussa, mancipauerit, interposito fiduciae pacto, ut in emancipationibus, de bonis iisdem protinus, sine sacrificis, reddendis.

F 3

<sup>18</sup>) De que copiose Brissoni Select. Ant. I. 7. et de Form. VI. pag. 513.

<sup>19</sup>) l. l. p. 217. ff.

*reddendis.* Haec enim silicernia putat morti proximā, et a Legatario sustentata, ut est graue paupertatis onus, huius rei molestiam ac turpitudinem haud aegre tulisse. Quibus contra Gronouium defendendis quamuis admodum copiosus sit; tamen, re diligentius considerata, a vero aberrasse videtur. Nam vt praetermittam horum nostro loco nullam omnino mentionem fieri; praclare a Manutio demonstratum est, *Senes Coemtionales Ciceroni*<sup>20</sup> dici *Tutores*, quibus *Paterfam*, eam *testamento potestatem* relinquere, ut cum filiae suae nuberent, sine eorum auctoritate coemtionem facere non possent: quod e locis pro Flacco c. 34. Or. 1, 56. Liv. 3, 72. patet. In Plauti vero loco sunt *mancipia veterana et attrita*, quae per se emtorem non inuenirent, nec nisi alii *mancipio*, aut *rei vendibili adiecta*, vendi haud possent. v. Gron. ad Plauti l.l. ed. Ern. Restat vt putemus, Legatarium iussum esse vendere Legatum per aes et libram *heredi ipsi*, veluti *Emtori fiduciario*, qui post emtionem, bona fide, renderet, ut iam non esset hereditas amplius, sed bonum, emitione venditione partum\*. Quo in genere duo obseruanda sunt: primum, quid sit heredem soluere et quatenus hereditas soluta dicatur; deinde, quibus artibus heredes ad imaginariam illam venditionem allici potuisse videantur. Ac soluere omnino est, quounque modo aliquid vinculis, quibus obligatum est, eximere, siue illa naturalia sint, siue *moralia*; aut eiuris disciplina, tollere ne-  
xum, qui inter duas pluresue res atque personas intercedit: sic aes alienum, votum, iusta, iudicatum et sexcenta alia, in omnibus lexicis obvia: eodem modo § 2. Inst. Quib. al. lic. vel non; debitorem pupillarem soluere, pro quo Labeo 1.91. D. liberare, si debitor, inquiens, tuus non vult a te liberari, et *praefens* est, non

<sup>20</sup>) Epp. ad Diu. 7, 29.

\*) Bald. l.l. p.75. et Conradi Parerg. p.158. ed. Helmst.

non potest a te inuitus solui. Igitur soluere heredem est, nexus, qui inter ipsum Legatarijunque intercedit, tollere. Iam vinculum, quo Legatarius, qui ceteris heredibus plus ceperat, teneretur, erant sacra. A quibus se liberaturus aliud cum iis vinculum iungebat, vendendo per aes et libram legato, quo ritu, per fictionem peracto, nexus inter ipsum haeredesque erat sublatus, i. Legatarius Legatarii personam non amplius sustinebat, sacrisque haud erat obstrictus, quod Cicero dicit: *res eo loco erat, quasi ea pecunia legata non esset.* Pecunia vero ipsi debebatur ex stipulato ac bona fide, quam fallere iniustiae putabatur. Neque enim placet ratio d'Arnaud, qui <sup>21</sup> Legatarium facit emtorem, Heredem vero venditorem. Bona enim, e Legato relicta, Legatarii, non Heredum, erant; nec ab his, sed illo poterant vendi. Cumque Sacrorum onus Emotori cederet, hoc Legatarius excusurus, vendoris personam necessario suscipere debebat. Vnde apparere arbitror, quatenus hereditas soluta dicatur. Scilicet hereditas secundum Cajum <sup>22</sup>, et Pomponium <sup>23</sup>, est *succesio in viuersum ius, quod defunctus habebat, quo vel maxime Sacra pertinent, in quibus familiae nominisque perpetuitas cernebatur.* Quae ad quemcunque peruenissent, ei, vltro apparet, hereditatem tribui potuisse. Vnde intelligitur, hereditatem solutam nihil aliud esse, quam sublationem Sacrorum ipforum, quibus Legatarius tenebatur antequam accepta, e Legato, bona per aes et libram vendidisset. Quod si displiceat, possis hereditatem explicare de quacunque pecunia, quae morte alienius ad quempiam peruenit, [v. Cic. Top. 29.] ita, ut hereditas soluta sit, alienatio pecuniae legatae, ab eaque

<sup>21</sup>) l. l. p. 220.

<sup>22</sup>) l. nihil aliud.

<sup>23</sup>) l. heredit. de V. S.

<sup>24</sup>) l. l. p. 221.

eaque profecta exemptione ab omnibus obligationibus, cum pecunia  
coniunctis. Neque vero opus esse arbitor, cum d'Arnaud <sup>24</sup>  
commutare verba hereditate soluta, in herede soluto, quod simili  
modo dicitur hereditas redditus Fin. 11, 18. hereditas tradita  
Off. I, 33. aliqua aliis locis plurima. His ita constitutis,  
illud fortasse mirum videatur, quomodo heredes Sacrorum  
onus sane grauissimum <sup>25</sup> voluerint suscipere. Cuius rei expe-  
dienda duplex modus cogitari potest. Siue enim honestioris  
meliorisque conditionis fuerint, a vero haud abhorret, cum fa-  
miliae splendor maximam partem, in sacris cerneretur, ad ea  
eos suscipienda non difficulter potuisse adduci. Solent enim  
homines tantum non omnes ea, que antiquitatis nobilitatis-  
que speciem aliquam habeant, vel cum incommodo suo appe-  
tere, idque eo magis, quo minus qualicunque virtute sua ad  
laudem sibi viam munire possint. Quod ut in nobilioribus  
nostris usus quotidianus docet; ita Historia Romana multis  
exemplis confirmat. Quod si heredes pauperes sumas, haud  
scio an res expeditu etiam facilior sit. Hos enim, lucri praef-  
sentis auidos, cum a Legatario expectarent, vnde per aliquod  
tempus lauti viuendi occasio ostenderetur, quis putet eam  
sibi elabi passuros fuisse? Qui, siue prole parentes, excusatio-  
nem habebant ab eo, quod sibi vnicce molestiae fuissent; siue  
familia austi, facile praeuidebant fore, vt, ipsi mortuis, si  
haec, vnde Sacra ficeret, non haberet, ab eorum onere ulro  
liberaretur. Quidquid sit, vt paupertate honesta nihil continua-  
tius, ita, ab luxurioso vitae genere profecta nihil immoderatus  
impatientiusque reperitur.

Haec

<sup>25</sup>) V. Swarz Exerc. de Sacror. detestatione § VI. p. 14. et  
Conradi Parergor. p. 150. ss. vnde sine Sacris hereditas in pro-  
verbium abierat, significabatque rem gratissimam sed raram  
v. Plaut. Trinummus Act. II, Sc. IV. v. 85. ibique Gron.

Haec habui, quae *Tecum*, Doctissime Lutharde, super loco  
 paulo difficiliori communicarem, non dubitans, quin nisi re,  
 certe voluntate satisfecisse *Tibi* viderer. Ego vero gaudeo,  
 hac qualicunque commentatione potestatem mihi factam animi  
 sensuumque meorum *Tibi* declarandorum. De quibus quam-  
 quam *Tibi* persuasum esse non ignorabam: tamen eorum testem  
 aliquem publicum extare eo magis auebam, quo plus mei in-  
 tererat *Te* absentis mei memoriam interdum restaurare. Nam  
 cum *Te*, Amice suauissime, propter praeclari ingenii viam  
 doctrinaeque elegantiam maximopere semper admiratus sum,  
 tum morum, virtutis modestiaeque nomine ita amavi, vt hac  
 certe ex parte amicorum Tuorum nemini secundus fuisse mihi  
 ipse conscius sim. Neque vero harum virtutum splendor me  
 mei solum causa mouit, sed vel maxime eorum, quos pro-  
 prie pertingit. Nam si, vt rectissime Cicero<sup>26</sup> sine *Magistratu*  
*rum bonorum sapientia et prudentia nulla ciuitas flare potest:* et  
*Auctore Montesquieu<sup>27</sup> Virtus fundamenti loco est, cui salus*  
*Aristocracie* nitatur, quomodo ego Reipublicae Tuae, mihi  
 siue ob veteris disciplinae sanctitatem, siue propter hanc ipsam  
 virtutis existimationem, Carissimae non ex animo gratuler,  
 quae, quibus *Te* honestatis magnitudinisque sensibus bene im-  
 buit, eorum fructus vberimos a *Te* propediem perceptura sit?  
 Quomodo ego Ciues Tuos non felicissimos praedicem, qui in  
 prudentia Tua habeant, vnde de rationum suarum conserva-  
 tione bene sperent; in humanitate vero rectisque sensibus prae-  
 videant, quare de summorum quorumque commodorum ex-  
 expectatione laetentur? Quod si per caussarum viam fane mole-  
 stissimam, sed ad laudem gloriamque commendatissimam ad  
 honorum

<sup>26</sup>) Legg. III, 2.

<sup>27</sup>) *L'Esprit des Loix* III, 4.

honorum Tibi amplitudinem munire aditum placeat, mente  
praecipio, quomodo Ciues Tui siue cauendo a litium ambi-  
guitate auertas, siue consulendo in certam iuris viam deducas,  
siue hortando ad aequitatem impellas, siue admonendo a for-  
tunae iactura reuoces, et oratione ac scriptis innocentiam de-  
fendas, imprudentiam excuses, fraudem flagitiūmque conuin-  
cas, extorsa iura restituas, denique litigandi ardorem resti-  
guas. Neque vero timeo, ne aut Tu aut quisquam alius haec  
qualiacunque a vanitate potius quam veritate profecta esse au-  
tumet. Est hoc assentandi genus hominum lucri qualiscunque  
appetentium, quo nomine ut nec *Tibi* nec *vlli* vñquam alii  
suspectus fierem et semper elaborauit et cum maxime contendit.  
Ergo tu, mi Lutharde, Honoribus Academicis dignissime or-  
natus in Patriam saluus redi, purissima de Patria bene merendi  
voluptate perpetuo fruere, Venerandique Parentis Gaudium,  
ataque Nobilissimae Familiae Splendorem diu sustine, meque  
nullius non boni Tui in communionem semper peruenturum  
*Tibi* persuade. Ita vale et mihi fave.

---

THESES.

---

*T b e s e s.*

---

I.

*Praescriptio definita iuris naturalis non est.*

II.

*Praescriptio indefinita, sive immemorialis, in iure naturali fundata.*

III.

*Obligatio, etiam citra respectum ad superiorem, intelligitur.*

IV.

*Ius introducti dominii non nisi ex consensu deduci potest.*

V.

*Sensus iusti iniustique hominibus connatus non est, sed ab ratione proficitur.*

VI.

VI.

*Ius naturae, pro lege acceptum, numquam permisuum est.*

VII.

*Iure Romano titulus reprobatus interdum ad praescribendum proficit.*

VIII.

*Actio pignoratitia omnino praescriptioni obnoxia est.*

IX.

*Proprietarius fundo, usufructuario consentiente, seruitutem imponere potest.*

X.

*Praescriptio annuorum reddituum fit per singulos annos, non una vice.*

XI.

*Legitimi, per subsequens matrimonium, feudorum incapaces sunt.*


XII.

*Delictorum praescriptio in bene constituta republica necessaria.*

Göttingen, Diss., 1786+87







DISSERTATIO IN AVGVRALIS

PHILOSOPHICO - IVRIDICA

DE

# PRAESCRIP TIONIS

NATVRA, FVNDAMENTO, ET IVRE

IN STATV CIVILI;

QVAEDAM EXHIBENS

QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS V. I.

RITE CAPESSENDO

DIE XXXI JVLII MDCCCLXXXVII.

PVBICE DEFENDET

AVCTOR

SAMVEL FRID. DE LVTHARDT

HELVETO BERNAS.

GOETTINGAE,

TYPIIS JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

